Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Jonstoni Historia Naturalis

Historiae|| Natvralis|| De|| Serpentibvs|| Libri Dvo.||

Jonston, Jan

Heilbronnae, MDCCLVII.

VD18 90529200

Illustration: Tab. III. Seps Aetii ex Matthiolo [...]

urn:nbn:de:gbv:45:1-11078

Visual Library

Seps Aetii ex Matthiolo.



Aſpis Vulgaris



Aſpidis ſpecies *Colore ferrugineo.*

Aſpidis ſpecies colore ferrugineo, Vipera parua Vulgo dicta

Dipſas Greuini.

Ibÿara Serpens Margraf.



Landesbibliothek Oldenburg

Quidquid homo eſt, aperit peſtis. natura profana
Morte patet; manant humeri, forteſque lacerti
Colla caputque fluunt; calido non ocyus Auſtro
Nix reſoluta cadit, nec ſolem cera ſequetur,
Parva loquor corpus ſanie ſtillaſſe peruſtum,
Huc et flamma poteſt, ſed quis rogus abſtulit oſſa?
Haec quoque diſcedunt, putresque ſecuta medullas,
Nulla manere ſinunt rapidi veſtigia fati.
Cyniphias inter peſtes tibi palma nocendi eſt:
Eripiunt omnes animam, tu ſola cadaver.

Remedia. *Dioſcorid.* *Plin. H. N. l. 19. c. 5. et 6.* Inter *remedia*, portulaca et acetum mulſum a Dioſcoride; a Plinio, cortex et baccae lauri, oxymel, piſcium ſalſorum cibus, dummodo veſperi vomitu rejiciatur; ab Aëtio, ſpongia aceto calido imbuta, et morſui applicata, laudantur.

Differentiae. Inter Sepem et Sepedona, ut ſupra diximus, vix aliquid eſt diſcriminis, etſi Scholiaſtes Nicandri, Sepi colorem coccineum, Sepedoni varium aſſignet. Videntur tamen reperiri ſerpentes qui ad eundem referri poterunt. Meminit Ariſtoteles cujusdam puſilli, quem quidam *Sacrum* vocant, quem et reliqui ſerpentes, etiam magni vitant. Hujus morſu omnia putreſcunt. Legitur quoque apud Aelianum, virum quendam ſolo ſerpentis attactu periiſſe, et veſtem aegri paulo poſt putruiſſe. (Aelian. H. A. l. 8. c. 7.) Huc et *Agvaſen* pertinet, de quo ita *Nierembergius*. Subita peſtis Agvaſen ſerpens duas ſpithamas longus duntaxat, fuſco colore, lato capite atque compreſſo: adeo vero lethali eſt ictu, ut intra dimidiae horae ſpacium interimat, decidente carne vulneri vicina, ac miſere putreſcente. Verſatur montoſis locis, editis, atque arentibus. Alexiterium ejus *Pangagvajen*, Naſcitur in Philippicis. (Nieremb. H. E. l. 12. cap. 11.)

ARTICVLVS VI.

De Aſpide.

Ambroſin. de Serp. l. 1. c. 7. *Nomen.* Serpenti quem Aſpidem vocamus nomen, vel ab aſpergendo, quod venena morſu aſpergat, ut Iſidoro placet; vel ab aſperitate cutis, ut Arnoldo; vel ab aſpiciendo, quod acutum intueretur, niſi eorum oculi a quibusdam carunculis comprimentibus impedirentur, ut Abenſinae; vel a σπείζειν, quod eſt, more ſerpentis beſtiae ſibilare, et ſe gyrare, propter acutum nempe ſibilum, vel ejus corporis longitudinem, ut aliis; impoſitum eſt. Quidam Serpentem Niliacam et Aegyptiam dixere, quod Aegypto ſit peculiaris: Propertius *ſacrum colubrum*, quod in ſimulachris Iſidis adhiberetur, dixit, alii *Hypnalin* a ſomni inductione. Quatramius Maraſſum vocavit, quod viperarum inſtar, vivos catulos pariat.

Deſcriptio. *Nicand. in Theriacis.* *Deſcriptionem* apud *Nicandrum* habemus.

Tam procera, (inquit) extenſa queunt quam brachia duci
Tantaque craſſities eſt, quantum miſſile telum,
Quod faciens haſtas docta faber expolit arte;
Pro trucium horriſona taurorum, et caede leonum.
Squallidus interdum color albet, ſaepe virenti
Cum maculis ſaepe eſt cineres imitante figura;
Nonnunquam ardenti veluti ſuccenditur igne
Idque nigra aethiopum ſub terra, quale refuſus
Nilus ſaepe lutum vicinum in Nerea volvit.
Praeterea geminae calli inſtar, fronte carunclae
Haerent ſanguineis ſcintillant lumina flammis